



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Approbatio Illustrissimi Et Reverendissimi Archiepiscopi Ebrodunensis,
Episcopi Metensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

ARCHIEPISCOPI EBRODUNENSIS, EPISCOPI METENSIS.

PROVIDENTIÆ divinæ admirandum est in eo consilium, quod cum permiserit Religionem Christianam, omnibus sæculis, ab inimicis foris & intus impugnari; quorum illi fidei principia penitus negando convellerent, sicut Ethnici & Judæi; hi vero quadam ex parte varie labefactarent, ut Hæretici, præclaros semper veritatis fuscitaverit propugnatores, qui utroque luculenter confuderunt. In quibus absque fūco possumus affirmare, postquam hoc Opus, cui titulus est, DEMONSTRATIO EVANGELICA, à clarissimo Viro PETRO DANIELE HUETIO compositum accurate legimus, vix ullum reperiri doctrinæ reconditoris, majorisque perspicuitatis; meritoque Virum insignem inter præcipuos numerari tanti argumenti tractatores. Hinc enim Veteris, Novique Testamenti auctoritatem, veritatemque comprobatur, cum ex contextu ipso, tum ex consensu celeberrimorum, qui primis temporibus vixerunt, Auctorum, & quamvis profani, sacris Literis suffragati sunt: illinc autem ostendit Jesum Christum, verum esse Messiam, simul Deum & hominem, in quo omnium Prophetiarum complementum absolvatur, solumque qui viam salutis homines docuerit. Itaque censemus hunc Librum, non solum propter doctrinam Orthodoxam, sed etiam propter utilitatem maxime amplectendum; quippe ibi Fideles habent, quo eorum fides nutriatur; & Infideles, quo convincantur. Datum Parisiis, ubi negotiorum Ecclesiæ nostræ causa degimus. Idib. Octobr. A. R. S. M. DC. LXXVIII.

GEORGIUS D'AUBUSSON, DE LA FEUILLADE,
Archiepiscopus Ebrodunensis, Episcopus Metensis.

A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

EPISCOPI BAJOCENSIS.

MULTUM gratulari debemus Cadomeni Academiæ, totique adeo nostræ Dicecisi, quod hisce temporibus alterum tulerit Origenem, Virum dico clarissimum PETRUM DANIELEM HUETIUM, qui pro sua singulari eruditione, non solum redivivos nobis exhibuit prisca illius Auctoris libros, sed eum nunc quoque in se exprimit ac representat: dum adversus Religionis Christianæ perduelles, perinde ut ille olim adversus impium Celsum, imo feliciter etiam præliatur. Sic enim noster Origenes hoc in Opere, cui titulus est, DEMONSTRATIO EVANGELICA, è Veteris Novique Testamenti consensu & Parallelismo, mira arte concinnato, tela depromit & contorquet, ut ubique profligatos Judæorum & Gentilium errores videas, & integra ac illibata semper maneat Christiana veritas. Jure igitur commendari debet hoc Opus, quod mille clypei pietatis, & Libris sacris traditæ doctrinæ, reddunt armaturam fortium. Datum Bajocis, XXV. Sept. A. R. S. M. DC. LXXVIII.

FRANCISCUS Episcopus Bajocensis.

A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

EPISCOPI CONDOMENSIS.

DEMONSTRATIONEM EVANGELICAM, à Viro clarissimo; datque in omni genere doctrinæ celeberrimo PETRO DANIELE HUETIO editam, summa cum animi voluptate perlegi; opus elaboratissimum, ac recondite eruditionis; quippe quo Prophetarum referentur oracula, ipsique Scripturarum recludantur fontes; Judæi porro, ac ceteri Religionis hostes haud minus copiose quam